

## INITIUM CANADICÆ MISSIONIS, &amp; PRIMI FRUCTUS.

A MERICÆ littora, Franciæ obversa, Galli jam inde ab anno MDXXIV. identidem lustraverunt: fed obiter, & quasi prætereuntes. Demum superiori seculo ineunte, regionem interiorem subiit Samuel Camplenius, qui Canadensis coloniæ parens merito dici potest. Jamque negotiatio bellissimè procedebat, cum Henricus IV. de religione magis, quam de commercio solicitus, in hanc Orbis novi partem inferre Christiana sacra decrevit, anno MDCVIII. ac Societatis homines ad hanc Apostolicam expeditionem postulavit. Certior de consilio Regis factus P. Petrus Cotonus, regiæ conscientiæ moderator, jussusque strenuos quamprimum designare sacerdotes, qui solida tanti operis jacerent fundamenta, Societatis Præpositum admonuit. Ex omni, non juvenum modo, sed etiam senum, numero, laboriosam Missionem flagitantium, delecti sunt P. Petrus Biardus, Gratianopolitanus, theologiæ professor in collegio Lugdunensi; & P. Enemundus Maffæus, Lugdunensis. Moram consiliis felicibus attulit Regis improvisa mors; & Societatis amicorum studia, qui navem & reliqua itineri necessaria comparabant, debilitavit. Sed invicta rebus adversis Cotoni pietas, Reginæ auctoritatem interposuit, ut difficultates objectas profligaret. Ergo indicitur profectio: Patres